

vis huic opinioni quadam contravenire difficultates videantur, istas tamen omnes prædictus *Columna* & secundum illum *Dn. Bocconius l.c.* removit, & ejusmodi rationibus refutavit, quibus *Dn. Reiskius* in *Appendice Dissert. de Glossopetris Luneb.* omni etiam adhibitâ diligentia non potuit satisfacere.

## §. 5.

Qui lapides licet non adeò cari sint, sed teste *Boëtio pag. 342. l.c.* æquo comparentur pretio, id tamen demus operæ, ut sinceri accipiantur. Melitenses, iidemque cinerei, optimi sunt, ut *Job. Frid. Abela, à Dn. D. Hoffmanno* in *Clavi Schrad. pag. 131.* citatus, docet. Istos quoque læves decet esse & friabiles, ne utquam duros, quo, tanquam Ebur ustum, dentibus possint conteri. Cetera bonitatis indicia jam supra memoravimus.

## §. 6.

Istorum usus viresque innotescunt ex supra dictis Italicis Gallicisque schedulis, quas emtoribus communicandas sæpe memoratus *Wormius* in *Mus. pag. 7.* Latine reddidit, ut sequitur:

**Vires lapidis S. Pauli, linguarum, item oculorum serpentum pretiosorum, qui in Insula Melita reperiuntur:**

Terra quæ S. Pauli vocatur, in Insula Melita reperta, in ipsa specu D. Pauli, colore albo est, exque ea fiunt imagines, tabellæ, vasa &c.

Lingua coloris sunt fusci, oculi serpentum lutei, atque per totam Insulam inveniuntur ea, qua venduntur, forma.

Miræ sunt virtutes tam terræ, quam linguarum & oculorum, dum omni veneno resistunt, à moribus venenatis non solum defendunt, sed etiam curant, aliisque morbis medentur.

Usus hic est: annulis includuntur oculi dicti, ita ut gestantis tangant carnem, & instar aliarum gemmarum digitis sint ornamento.

Linguas collo aut brachiis appendunt.

Parum dictæ terræ vino aut aquæ miscent, ut bibatur.

Linguas & oculos itidem aquæ aut vino infundunt, ut ebibatur liquor.

Vasis ex hac terra fabricatis si vinum vel aqua infundatur, ac, ubi vim eorum absorpserunt, ebibantur, multis affectibus medebantur.

Sed ante omnia attendendum, ut dicta

linguæ & oculi sint veri, ex Melita per fide dignos transportati, ne fraus aliqua contingat.

## §. 7.

Ultimò in curiosorum Museis alii adhuc perrari mireque figurati lapides inveniuntur, ad quos pertinent.

**CORNUA AMMONIS, f. Ammons Hörnlein,**  
**CONCHITES, f. Schneckenstein,**  
**STALACTITES, Rogenstein,**  
**ENCARDIA, Hertzstein,**  
**ASTROITES, Sternstein,**  
**LAPIDES SABULOSI, Pfälzische Sand-Pfeiffen,**

de quibus ultimis *Thom. Erastus* curiosam scripsit epistolam. Quoniam vero isti pluresque alii nec à Materialistis venduntur, nec Medicinæ in usu sunt, in iisdem non commorabimur, in *Tom. II. Mus. Mus. fufius*, Deo volente, pertractandis. Interea curiosus lector aliquam informationem hauriet ex *Aldrovandi Museo Metallico & Bootii Tract. de Gemmis & Lapidibus*, in specie ii, qui in Bavaria ac Helvetia reperiuntur, à *D. Welsch* in *Hecatost. Observ. D. Wagnero & D. Scheuchzero* in *Histor. Helvet. Naturali: Miscnici* ab *Job. Kentmanno* in *Nomenclatura rerum fossil. in Misnia: Saxonix inferioris* à *Frid. Lachmundo* in *επιτογραφία Hildesheimensi: Silesii* à *Casp. Schrovvenckfeldio* in *Catal. Fossil. Silesia: Bohemici* à *P. Balbino* in *Hist. Bohem.* in Scotia reperiundi à *Sibbaldo* *Hist. Nat. Scotie* describuntur. Horum tamen lapidum æstimationem sola curiositas metitur, dum eæ virtutes & qualitates, quæ à *Gaffarello* in *curiositatibus inauditis cap. 5. pag. 138.* istis adscribuntur, maximam partem superstitiosæ sunt, ut *Regius Præpositus Flensburgensis Michaëlis*, in *Notis suis in Gaffarellinas curiositates*, ingenuè confiteretur. *J. C. Vaninus*, antequam in Atheismi incidit phantasma, non sine causa quoque scripsit, vel unicum pulicem plus habere virtutis, quam omnes pretiosos lapides cum raris quibus insigniuntur figuris, vid. ejus *Amphitheatri æternæ providentiæ Divinæ Magicæ Exercit. VI. pag. 46.* multo minus Hebraicis characteribus, dictisque Figuris Talismanicis insignitis lapidibus adscribendum efficacix est, in quibus certus quidam isque magnus amicus tantam posuit fiduciam, ut, istis se quasi immortalem reddere non dubitaret: quæ tamen opinio usque eo cum sefellit, ut, licet fere omnibus membris imposuerit lapides, nihilominus vita excedere, istosque magno pretio emtos, (quibus post mortem liberi in domo dicuntur lusisse,) aliaque plura curiosa lætis relinquere hæredibus necesse habuerit.